

/ Ill^{me} ac R^{me} Domine observandissime. Quod Ill^{ma} D. tua
mihi ex animo bene cupiat, et non verbo et lingua, sed opere et
veritate commodis meis studere parata sit, omnino mihi persuadeo
tum ex pia charitate, qua praeditam esse Ill^{mam} D.V^{ram} à multis pr
5 praedicari audio, tum ex ea propensione animi quam in me ipse sen-
tio erga Ill^{mam} personam tuam. Quod vero exordium praesentis anni
mihi precatur eadem Ill^{ma} Dominatio tua, recte omnino facit, prop-
terea quod vita senum, qualis ego sum, multis calamitatibus sit ob-
noxia. Sed maiore ratione debeo ego felicissimum hunc totum annum
10 et multos consequentes precari Ill^{mae} D.T. cum florens aetas ves-
tra necessaria sit christianae reipublicae; ego vero inutilis esse
incipiam Ecclesiae Domini. Precor igitur Deum ex animo, ut Ill^{mam}
personam vestram quam diutissime servet incolumem, et mei memorem
in sanctis et Deo acceptis orationibus suis. Datum Romae die 15
15 februarii 1613.

Arch.Vatic. Mss.Gesuit. 22 Epist.121.

Epist.famil. 108 (date 1614)